



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 1. Sententia adversaria proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

cet esset impossibilis alia albedo ut quatuor existens in Ioanne, nihilominus Petrus haberet illos quatuor gradus albedinis, in quo casu non esset similis formaliter, quia similitudo formalis essentialiter petit aliam albedinem actualiter existentem.

- 211 Deinde respondeo licet possit Deus suspendere concursum ad hanc, vel illam numero relationem, non tamen ad omnem simul: unde semper manebunt similes formaliter duæ albedines ex vi aliarum relationum, ad quas Deus præstat suum concursum, licet suspendat illum ad alias, quæ responsio in alio casu applicatur ab ipso Suarez; nam si interrogem ab hoc Authore, an possit Deus suspendere concursum ad omnes figuras simul, conservata quantitate, vel ad omnes præsentias; Respondet, licet Deus possit suspendere suum concursum ad hanc, vel illam præsentiam, ad hanc, vel illam figuram, non tamen ad omnes simul propter connexionem necessariam quantitatis cum figura: ergo recta est nostra solutio.

SVBSECTIO VLTIMA.

In qua secundæ sententiæ argumenta solvuntur.

- 212 **A**d primum nego maiorem, ut patet ex dictis, nam vere mutatur fundamentum intrinsece per resultantiam relationis.
- 213 **A**d secundum nego maiorem, ut patet ex supradictis.
- 214 **A**d confirmationem distingo maiorem, quæ sumitur ab aliquo tanquam à forma, concedo maiorem; quæ non sumitur ab eo, tanquam à forma, nego: ad minorem distingo, sumitur ab extrinseco tanquam à forma, nego, tanquam à requisito in obliquo connotato, concedo.



QVÆSTIO III.

Verum relatio prædicamentalis sit idem formaliter cum fundamento, & termino?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit, relationem formaliter esse idem cum fundamento, & termino, ita ut mea similitudo v. g. ex æquo includat utramque albedinem, sicut homio ex æquo includit materiam, & formam: hanc sententiam tenet Durandus in primo, distin. 30. quæst. 1. P. Hurtado, in metaphys. disp. 15. sect. 11. Arriaga in log. præd. de Relat.

2 **P**robatur primo autoritate D. Thomæ opus. 48. tract. 5. de prædicamento ad aliquid, cap. 3. ubi ait, & sic relatio differt à suo fundamento, quia relatio dicit rem sui fundamenti, & oppositum terminum, quem non dicit fundamentum, & sic relatio differt à suo fundamento, quia importat oppositum relativi; sicut enim dicimus, quod totum differt à sua parte, non sicut res à re, sed sicut illud, quod importat plus, quam pars, &c. quibus

verbis dictam sententiam videtur sine tergiversatione docere.

Secundo probatur ratione: relatio non est motus ex natura rei distinctus à suo fundamento, neque est fundamentum solum, nec solus terminus: ergo consistit in utroque formaliter; prima pars antecedentis iam probata manet argumentis adductis pro sententia P. Suarez, secundam partem probat P. Hurt. rationibus, quibus libens supersedeo, quia sunt pro nobis, & non contra nos, sed contra Patrem Suarez.

Tertio probatur, in relatione tacti, quæ est prædicamentalis, quia tangere est ad aliud; sed duo corpora habent relationem tacti præcise per coexistentiam in duobus locis immediatis: ergo relatio formaliter consistit in utroque extremo: pater minor, quia coexistentia duorum corporum in duobus locis immediatis est tactus utriusque: ergo ab illa denominantur tacti: hæc sunt omnia argumenta, quibus innititur horum authorum sententia, omniaque à Patre Hurt. adducuntur, neque aliquid novi addidit P. Arriaga.

SECTIO II.

In qua nostra sententia ponitur, & probatur.

Nostra conclusio: relatio prædicamentalis non est formaliter, & essentialiter æque utrumque extremum, fundamentum videlicet, & terminus: hæc est communis sententia Doctorum, quam ut certam supponunt, & ideo breviter eam probant.

Probatur primo, quia si relatio non distingueretur formaliter à fundamento, & termino, non daretur prædicamentum relationis; sed hoc est absurdum, & contra adversarios: ergo distinguitur formaliter, &c.

Probatur maior primo, quia vel in prædicamento relationis poneretur relatio, quæ fundatur tam in substantia, quam in accidenti; vel solum relatio, quæ fundatur in accidenti; sed non primum, neque secundum: ergo, &c. Probatur minor quantum ad primam partem, & eam concedit Hurt. asserit enim sect. 3. §. 42. relationes substantiales directe pertinere ad prædicamentum substantiæ; indirecte vero ad prædicamentum relationis, & ratio est, quia in sententia adversariorum relationes, quæ fundantur in prædicamento substantiæ intrinsece sunt substantiæ, extrinsece sunt accidentis, sed prædicamentum relationis est accidens intrinsecum: ergo illæ relationes non ponuntur in prædicamento accidentis.

Dices, utramque esse accidens metaphysicum, & sic poni in prædicamento accidentis.

Sed contra, quia esse accidens metaphysicum non tollit, quin una relatio intrinsece, & essentialiter sit accidens, & alia tantum extrinsece, & accidentaliter; sed ex rebus, quæ extrinsece sunt tales, & quæ intrinsece sunt tales, vel participant aliquam rationem intrinsecam, & extrinsecam non potest constitui unum prædicamentum: ergo, &c.

Minor probatur: prædicamentum constituitur ex generibus, & speciebus: sed quando aliqua ita se habent, ut vni conveniat intrinsece aliqua ratio, & alijs extrinsece, non potest dari illis aliqua ratio generica, neque specifica: ergo, &c. Maior constat ex dictis supra in antepædicamento. Probatur